

Joachim Just Breithaupt

## Ad Domvm Kortholtianam Epistola


Kilonii: Literis Bartholdi Revtheri, MDCCXIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1728892260>

Druck Freier  Zugang







II.  
40  
00



enth. 32 Stücke

J 2 II

1899 / 500

-40



**D O M V M**  
**KORTHOLTIANAM**  
**EPISTOLA**

**D. IOACHIMI IVSTI BREITHAVPT,**  
ABBATIS BERGENSIS MAGDEBURGICI, THEOL. FACVLT. HALL.  
SENIORIS, GENERALIS SVPERINTENDENTIS, CONSILIARII CONSISTORIALIS,  
DIRECTORIS SEMINARIJ THEOLOG. ET SACRORVM  
HILDERSLEB.

---

**K I L O N I I,**  
LITERIS BARTHOLDI REVTHERI ACAD. TYPOGR. MDCCXIII.





Littera, curre tamen, per tristia funera, et arma!  
Non intercludant te pestis, et horridus ensis:  
Littera curre tamen! Videat te *Cimbrica* tellus,  
KILIA te videat, fortunatissima Phoebi  
Filia, quae solita est per singula strata viarum  
Custodem arboreum viridem praefigere tectis,  
Ornatis auro, saxo, varioque colore,  
Arcentem solis radios, et lumina eunti  
Frondosis ramis pascentem; siue sit vlmus,  
Seu platanus, ficus, seu vitis, seu sit oliva,  
Sive alia immiti coelo mage commodet arbor  
Naturam geniumque suum. Verum omina laeta  
Iam te non teneant: solam tu quaere *Cupressum*,  
Quae tibi monstrabit KORTHOLTIA limina coram,  
Ante aliquot menses posita, illaetabile signum.  
Hic chartam expandens, referes, quae scripta sequuntur.

Vixerat hic KORTHOLT, *Christianus* nomine, et ore,  
Atque libris orbi gratis, et pectore toto,  
Nec non et factis constantibus, omnia gestans  
Ornamenta viri de Christo vera docentis.  
Quis canere audebit, quos quantosque ille labores  
Nocte dieque vorans superaverit, inter amica  
Atque inimica *Scholae* certamina? Consciis adsum  
Vnus adhuc, testans; haud consueuisse quieti  
Parcere eum licitae; nec sidera noctis adauctae  
Audire, auriculas vellentia, spernere somnum  
Ne nimium vellet. Fuerant in corpore sano  
Insolitae vires illi: totius et instar,  
Tam latis humeris, solido quam robore, et ipso  
Augusto vultu, semper florebat, ut aevum  
Nestoris huic flori spondere, faventibus astris,  
Non dubitassemus. Sed enim post exitus, infra  
*Septuaginta* annos, docuit, quantum ardor agendi  
Assiduus, pinguem minuens intra ossa medullam,

At-



Atterat aetatem. Iuvat, in DAVIDIS honore,  
 Teste haud invito, mirari aequalia fata.  
 Diuino quisnam hoc Heroë valentior vnquam  
 Extitit? atqui isthunc et curae et bella per annos  
 Sic labefactarant, vt, quum sentiret, *Jeorum*  
 Hebdomadas finem denas contingere, membra  
 Sanguinis auxilio cassa, ac collapsa, videret.  
 Cum Dauide ergo, KORTHOLTE *beate!* fruêris  
 Aeterna requie: et fruëris. Quam quaerere solam,  
 Posthabitis rebus terrestribus, vnica certe  
 Res tibi digna fuit studio et molimine tanto.  
 Grandia quin etiam saepe ipsi oblata fuere  
 Munia, tam fidus terris vt *Episcopus* esset  
 Praefectus magnis: at eum non vlla bonorum  
 Abduxit species firmato a fine, iuvandi  
 Vsque iuventutem, quae sese in sacra ministram  
 Addixit Christo. nam, aiebat; si vel et vnus  
 Me ductore alios ad Christum ducere nôrit,  
 Quotquot forte alibi de me pendere iubentur,  
 Ille tot erudiet solus: quid, si mea plures  
 Doctrina instructos dederit? Tam certa docendi  
 Gloria pertentans animum sine fine fovebat!  
 Nec vero ille modo iuvenes formauit adultos,  
 Edocuitque, viros se praesentare *Sioni*:  
 Ecce! etenim, quoties coenam remouere solebat  
 Hesperus, intrauit, sancta cum Coniuge, et omni  
 Prole, gynaeceum, atque a cantu et suauius hymnis  
 Exorsus, tenerae soboli praecepit, amare  
*Verba Dei*, haec legere, ac sibi respondere, salutis  
 Semina quaerenti et leges: quo fine, CATENA  
 AVREA (\*) Christianae FIDEI, quam scripserat, vlu  
 Cognita continuo est, vicibusque recognita crebris,  
 Quid vero haec, licet haud ingrata, reuoluere, prodest:  
 Quisue sibi a lacrymis nunc temperet, omnia quando

Ta

(\*) *Aurea* haec *Fidei*, *Catena* Kiloni edita est germanice anno 1683. in 8.



Talia sunt pridem nunquam, quasi nulla fuissent?  
Complures annos, cum omni virtute, sepultus  
Optimus ille Pater iacuit, filiique. Silendum  
Nec minus est nobis, ne quisquam indebita poscat.

Littera, perge tamen: te non indebita posco.  
amque priora fide iusta si dixeris, adde  
Haec, stanti ante fores simul inscribenda cupresso.  
Qualiter in viuis KORTHOLTVM *Costa* sequuta est;  
Ex interuallo pariter vestigia mortis  
Illius expleuit *Genitrix* KORTHOLTIA nuper.  
Si quid in his terris fuerit venerabile quondam;  
*Exemplar* vestrae vitae, virtutis, amoris,  
Tale fuit: tale id decus indelebile semper  
Sit domui vestrae proprium, et sine fine perennet!  
Non vos ante diem in lucem revocabimus: absit!  
Num orare, licet. Coelestis, vtrumque coronans,  
Gratia, per Christi meritum sit maxima, et almis  
Fructibus exhilaret natos, horumque nepotes!

Littera, quid superest? DIC: CVR HIC pignora magni  
KORTHOLTI superatis adhuc? Debere, sciat, et  
Vos illi, et cunctis illum venerantibus, amplam  
Laudum eius legetem, referendam in tempore vestro,  
Inque propaginibus tam sancti nominis olim.  
Dic quoque, divinum precibus me flectere Numen,  
Haeredes ut sint notae pietatis, et omnes  
Coelorum haeredes. Me, dic, *Septembribus* horis  
Te misisse, inter glomerata negotia scriptam;  
Me, non immemorem lethi, sentire molestas  
Aetatis senisque minas, me meque parare,  
CHRISTIANO *Patri* ut dicam, non rursus, ut ante:  
Vivere amem tecum, tecumque libenter obire!  
Sed: nunc vivere, amo, et tecum celebrare IEHOVAM!

Littera, plus satis est: tamen et, quas denique iussi  
Praecipitare moras, simul excusare memento;  
Centum hos versiculos reddens, solamina mille.



33

LBMV Schwerin

000 314 889




Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1728892260/phys\\_0007](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1728892260/phys_0007)










NEQVE T  
 AB INGEN  
 AVT AB ART  
 QVIN POTIVS A  
 ET A DOLOR  
 EXIGVVM HOC MAGNI AM  
 MAESTI  
**SEBASTIAN V**  
 PHIL. MOR.  
 CVI ACER  
 OMNI AQ  
 ET IC  
 PLANE I  
 EX QVO IDEM CVM  
 NON SOLVM ANNAM C  
 SED ETIAM FLENSB  
 ANNAM GVDIAM, MA  
 KILONII ET IPSAM MATR  
 ROSFOCHII  
 LINDEMANNÆ SORORIS SV  
 IDEOQVE TRIBVS AN  
 QVATVOR  
 FVNERAQVE FV  
 ET LACRIMIS SVIS ET  
 ABI  
 ET HOC NIMIAE FRAGILIT  
 VITAM NOSTRA  
 ET E MOMENTO PE  
 DISCE, VEL SECVNDIS  
 QVVM CERTA MORTIS  
 PROINDE TOTA VITA  
 VT IN  
 NON TAM VI  
 QVAM MO  
 CO



SSENIA  
 NDIAM,  
 IS INSIGNE;  
 DESIDERIVM,  
 T FLETVS.  
 DOLORIS MONVMENTVM  
 OSVIT  
**RTHOLTVS,**  
 EOS PROF.  
 DLORES  
 TALIA,  
 ICO  
 KERE,  
 TVM EXPERTVS,  
 I SIBI VITA CARIOREM,  
 AM DEFVNCTAE,  
 CO SIBI DILECTAM,  
 M OPTIMAM ANNAM,  
 ANNAM,  
 M VNICAM ET NVBILEM,  
 DVM CIRCVMACTIS,  
 AMISIT,  
 CVMVLATA  
 PROSEQVTVS EST.  
 MANAE EXEMPLO DISCE,  
 VISSIMO FILO,  
 AETERNITATEM.  
 ORTVNAM VERERI,  
 HIL SIT INCERTIVS.  
 ITATIO SIT MORTIS,  
 RE  
 M MORTE,  
 VM VITA